Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2129

Quelle:
Copyright:

tit *ore*. Habet praeterea paullo poſt: *quanto efficacius impetramus*, ubi contextus noſtrum *impetrabimus* ſuadet.

VI. *fol.* 117. p. 2. *Incipit liber de mortalitate.* Initium: *Etſi apud plurimos ueſtrum fratres dilectiſſimi mens ſolida eſt* &c. Lectio Editis conſona. Poſt principium pro *perpetua ſecuritas col.* 461. Codex habet *leticia.*

VII. *fol.* 125. *Incipit liber de opere et elemoſinis.* Initium: *Multa et magna fratres kariſſimi beneficia diuina* &c. Pro *plenius conſulatur*, Noſter habet: *plenius conſilium detur*, et mox: *pro dampnatione concluſi*, ubi Edita *col.* 476. legunt *præſcriptione.*

VIII. *fol.* 135. *Incipit liber de bono pacientie.* Initium: *De pacientia locuturus fratres dilectiſſimi et utilitates eius* &c. In ingreſſu edit. *col.* 491. evidenter cum Noſtro reponendum: *Nam ſi patiens ille eſt* pro *ſapiens.*

IX. *fol.* 143. *Incipit liber de zelo et liuore.* Initium: *Zelare quod bonum uideas et inuidere melioribus* &c. Nullum ab Editis memorabile diſcrimen.

X. *fol.* 148. p. 2. *Incipit liber aduerſus Demetrianum.* Initium: *Oblatrantem te et aduerſus deum qui unus et uerus eſt* &c. Lectio ut plurimum Editis congruit. Illa tamen: *nec ſic uerna de temperie ſua læta ſunt*, quam *col.* 433. Editores reſpuunt et legunt: *nec ſic vernante temperie ſata læta ſunt*, defendi, imo praeferri poteſt ex eo, quod mox in contextu *autumna* eodem genere, numero et caſu poſita ſequantur. Atque haec ſpeciminis ergo ad commendandum *Codicem.*

XI. *fol.* 158. *Incipit cena Cipriani.* Initium: *Quidam Rex nomine Jobel nuptias faciebat in regione orientis* &c. Scriptum iſtud, *Labbeo* parum ſobrii capitis operoſiſſimum commentum, *Oudino* ſtultum lectuque indignum, *Tillemontio* Turca dignius quam Chriſtiano, procul amandandum a *Cypriani* Operibus iis adhuc adhaeret in Edit. *Pamelii Antverpiae* 1568. T. III. p. 604. non tamen absque της Νοθειας indice.

DLX.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 143. 8. probe ſcriptus, rubricisque ornatus hoc miniato eſt titulo: *Incipit liber de miſeria humane conditionis editus a lothario dyacono. qui poſtea Innocentius papa III eſt appellatus magnus.* Praeit Dicatio ita inſcripta et exordiens: *Domino. Patri. Cariſſimo. P.* (Petro Gallociae) *Portuenſi epiſcopo. Lotharius indignus dyaconus. gratiam in preſenti. et gloriam in futuro. Modicum otii quod inter multas anguſtias* &c. Initium L. I. *Quare de vulua matris egreſſus ſum* &c. Confer, quae de hoc Tractatu III. *Libris* ſeu *Partibus* conſtante, ejusque primis Editionibus dixi ad *Cod.* CCXLVI. Tertiam, quae recens mihi innotuit, indicavi in *Supplem. Maittair.* P. II. p. 606. n. 5304. Exemplum 745

praeſens